



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

XI. De simoniacis, & ne quid detur vel exigatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

CAP. III.

penarum multiplicatione stabilior efficiatur, hac no-
stra perpetuo valitura constitutione, quamque vim le-
gis, etiam in violabilis habere sancimus, legibus, consti-
tutionibus, statutis, & decretis prædictis præjudicium non
inferendo, quinimo illis addendo, decernimus & ordina-
mus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus ne-
mini cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis &
conditionis fuerit, liceat mediante pecunia vel solutio-
ne, & traditione, ac promissione aliarum rerum, etiam
per interpositas personas, aut alias quovis modo facien-
das, aliquas dignitates & officia, exercitium & admini-
strationem jurisdictionis habentia, procurare assequi,
vel obtinere, ac si quis in his præsentibus contravenisse
quocumque modo dici aut censeretur, ipsum contrave-
nientem eo ipso confiscationis omnium bonorum, de-
gradationis, & amissionis, tã privilegii doctoratus, quam
quorumcunque per eum obtentorum officiorum, tam
secularium quam Ecclesiasticorum, ac demum ultimi
supplicii penas irremissibiliter incurrere volumus. Cæ-
terum, ut fraudibus, quæ circa præmissa exoriri possent,
facilius occurratur, pari modo statuimus, quod ubique
& quandocunque compertum fuerit, per interposi-
tam personam aliquas pecunias, seu alias res traditas
seu promissas fuisse alicui Curiali familiari, vel cui-
cunque alteri personæ pro officii & dignitatibus, jurisdic-
tionis administrationem habentibus, is qui officium hu-
jusmodi obtinuerit se à præmissis, attentata interposi-
tione personæ hujusmodi, nulla tenus excusare queat: quin-
imo nulla admissa ignorantia, excusatione ipso jure præ-
sumatur solutionem & promissionem hujusmodi de-
eorum qui officia & dignitates similia obtinuerunt, con-
sensu & mandato penitus esse facta, iidemque propterea
penas subiacere omnino intelligatur. Postremo ne
ii qui in præteritum talia officia, seu dignitates solutio-
nibus seu promissionibus medianibus impetraverunt,
credant se per præsentem absolutos esse; eisdem motu,
scientia & potestatis plenitudine perpetuo declaramus,
eos penas in tales à jure communi inflictas incurrisse, &
contra eos ad penarum hujusmodi prosecutionem pro-
cedi posse. Eos vero qui similibus mediis aliqua officia
& dignitates, similiter jurisdictionis administrationem
habentia, obtinent, si in futurum quippiam unquam vi-
gore præcedentium promissionum in assecutione officii
hujusmodi factarum solverint, ipso jure & facto penas
in hac nostra constitutione contentas incurrere, præsen-
tesque nostras, tam eos qui in futurum officia similia &
dignitates solutionibus & promissionibus præcedenti-
bus obtinebunt, quam eos qui jam obtinuerunt, si in fu-
turum aliquid mantentionis in eis, aut alia causa sol-
verint, ligare volumus. Decernentes contra præmissa
quodvis pactum, etiam iura mento vallatum, ac instru-
menta, & alias forsan desuper editas scripturas minimè
in causa esse posse, quo minus solvere habentes, si pro
præmissis solverint, penas præsentibus contentas incur-
rant. Nos enim pacta, conventiones, promissiones, &
scriptas, ac alia quæcunque quomodolibet, ut præfertur,
intra exinde cassamus, irritamus, & annullamus, eosque
à juramentis, & aliis nexibus prædictis absolvimus, nec
non præsentibus, & desuper forsan faciendas literas per-
petuis futuris temporibus dare, ac omnes & singulos à
data præsentium irremissibiliter ligare volumus, illasque
nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis
vicio, aut intentionis nostræ vel quopiam alio defectu
notari, aut sub quibusvis revocationibus & derogationi-
bus comprehendendi nullatenus posse, sicque per quoscunque
judices, &c. & sanctorum palatii Apostolici auditores, ac
sanctæ Rom. Ecclesiæ Card. subditi, &c. iudicari debere,
irritum quoque, &c. decernimus.

Idem.

*Pana jure civili in ambitus reos sancta confirmantur & ex-
tenduntur ad recipientes pecunias & mediatores.*

Cum nuper, ne ordo justitiæ perverteretur, & ex cer-
tis aliis causis animum nostrum moventibus, fuerint
confirmata omnes & singulæ leges, constitutiones, sta-
tuta, & decreta contra ambientes officia, jurisdictionis
administrationem habentia, ea quæ pretio seu promi-
sionibus acquiruntur, tam à jure civili quam à sacris cano-
nicis facta, ac in illis contenta, punitiones & penas
quascunque in tales inflictas innovaverimus, easque
idem robur, eandemque vim obtinere voluerimus, atque
statuerimus, quod, & quam habuissent & haberent, si
hactenus ad unguem observata fuissent, vel à nobis e-
manassent: Insuperque, ut earum usus penarum mul-
tiplicatione stabilior efficeretur, per nostram consti-
tutionem perpetuo valituram, quam vim legis etiam in-
violabilis habere volumus, decreverimus inter cætera,
quod perpetuis futuris temporibus nemini cuiuscunque
dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerit,
liceat mediante pecunia, vel solutione, & traditione, ac
promissione aliarum rerum, etiam per interpositas per-
sonas, aut aliàs quovismodo faciendis, aliquas dignitates
& officia, exercitium & administrationem jurisdictionis
habentia, procurare, assequi, vel obtinere sub gravissimis
penis in dicta nostra constitutione, quam hic de verbo
ad verbum pro expressa haberi volumus & mandamus,
expressis: Attendentesque quod forte probabiliter dubi-
tari contingat, an dicta nostra constitutio comprehendat
recipientes hujusmodi pecunias ac res, ac promissiones
sibi factas stipulantes, ut officia prædicta exercitium ac ju-
isdictionis administrationem habentia conferri faciant,
ac mediatores, & interpositas personas: Propterea nos
motu simili, & ex certa scientia, & de potestatis plenitu-
dine, hac nostra perpetuo valitura constitutione declara-
mus, & quatenus opus sit, addendo prædictæ nostræ con-
stitutioni decernimus, quod dicta nostra constitutio,
ac omnes & singulæ pena in ea expressæ, perinde li-
gent & afficiant omnes & quoscunque, cuiusvis dignitatis
existant, qui pro hujusmodi officiis jurisdictionis admi-
nistrationem habentibus conferendis, ac mediatores &
interpositas personas quascunque pecunias & alias res, ut
suprà, receperint, ac si prædicti in dicta nostra constitutio-
ne comprehensum essent, & de illis in ea expressa mentio
facta esset. Et præsentibus perpetuo durare ac omnes ir-
remissibiliter ligare volumus & decernimus.

TITVLVS XI.

DE SIMONIACIS, ET NE QUID DE-
tur velexigatur.

Gregorius XI.

*Provisiones beneficiorum nunciatis nihil detur aut promit-
tatur.*

CAP. I.

Sollicitè debet vitari, quod noxium esse dignoscitur,
& ex cupiditatis aviditate, etiam in honoris Aposto-
licæ sedis depressionem, ortum habere videtur. Sa-
ne nuper ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli
inhonesti lucra quærentes, dum per sedem prædictam de
personis aliquorum apud sedem constitutis eandem,
Patriarchalibus, Metropolitanis, & aliis cathedralibus
Ecclesiis, sive monasteriis vacantibus provideretur, vel
personæ ipsæ ad hujusmodi, per dictam sedem de aliis
Ecclesiis transferuntur, aut alias ipsorum gubernationi
committuntur, hujusmodi provisiones, translationes,
commendas, sive commissiones, prædictis personis sic
apud sedem prædictam constitutis, ut aliquod munus ab
ipsis recipiant, denunciare festinant. Nos igitur in præ-
missis (prout ex debito tenemur pastoralis officii) provi-
dere volentes, universis & singulis personis Ecclesiasticis,



sexus, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Pontificali, vel alia quavis Ecclesiastica præfulgeant dignitate, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districtius inhibemus, ne de cætero illis, qui ipsi huiusmodi provisiones, translationes, commendas, sive commissiones eantundem, sive de Romani Pontificis pro tempore existentis, sive de aliorum vel aliquorum ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut alterius cuiuscunque mandato, seu aliis qualitercunque apud dictam sedem nunciabunt, seu nunciari facient, sive dici, vel super hoc nova portari, aliquid directè vel indirectè, per se vel per alium, donent seu promittant, neque per alium datum seu promissum perfolvant. Nos enim quoscunque præsumentes contrarium quoquo modo excommunicationis sententiæ subjacere volumus & decernimus, ipso facto, à qua nullus ab alio quàm à Romano Pontifice possit, nisi duntaxat in mortis articulo, absolutiois beneficium obtinere. Avignon. 6. Calend. Novemb. 1376.

Leo Decimus. in Concilio Lateranensi.

Sermonia scelus penitus excludendum panis sacris canonibus sanctis.

CAP. II.

VT a nefaria simoniae labes ac pestis non solum à Romana Curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum ejiciatur, constitutiones per antecessores nostros etiam in sacris Conciliis contra huiusmodi simoniacos editas innovamus, easque inviolabiliter observari precipimus, ac penas in eis contentas pro expressis & insertis haberi, & delinquentes etiam auctoritate nostra affici volumus.

Pius V. ex Concilio Tridentino.

Simoniacorum pena.

CAP. III.

VT simoniae pravitate labes prorsus aboletur, constitutiones antecessorum nostrorum contra simoniacos editas, & præsertim Pauli secundi & inviolabiliter observari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione, quàm in beneficiorum affectatione, statutis etiam inferius penes nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen simoniae pravitate convictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso fit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas simoniace acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas & quascunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quascunque alia beneficia Ecclesiastica. Si quis autem tale crimen pluries commisisse convictus fuerit, præter prædictas penas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium consortio ejiciatur. Qui vero ordines & beneficia simoniace contulerint, penes à jure statutis puniantur, & ab ordinibus Ecclesiasticis dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, vel majores fuerint. Caveant præterea quicumque, ne in sacramentorum exhibitione simoniacum aliquod faciant. Alioquin gravissimè puniantur per locorum ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima severitate coercere procurent, juxta Concilii Tridentini statuta.

a Hæc constitutio à Martino V. antea in Concilio Constantensi edita est. b Paulus III. in extravag. & Sixtus IV. in bulla que incip. Etsi dominici gregis. c Ex Concilio Constantensi. Ferrus Rebuff. in præf. beneficii. de simonia. num. 4.

Pius Quintus, ex Concilio Tridentino.

Beneficia pure & sincere conferri debent, sicut, aliis, quibus quoque conventionem vel conditionem, quibus forma vacare videtur.

CAP. IV.

VT nimirum & incommodum arbitrarum, quibus Ecclesiarum ministris in his que ad ipsorum institutionem suppeditant, dispendia patiuntur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiæ pravitatem, editas ante hæc sanctiones nimirum satis esse intelligimus, novæ constitutionis subdit cogimur providere. Cum itaque aliis ex planiusculosiarum cathedralium & collegiarum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligerentur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis, cælestis, vel beneficii, canonicarum, aut præbendarum, vel potestatem proventuum, seu ad distributiones quoscunque certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitas, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turorum lacu, interponerentur, licet sancta Synodus Tridentina hæc obtestata mandaverit Episcopis, ut quæcunque huiusmodi quæ in usus pios non converterentur, atque iniquos eos qui simoniaci labis, aut fordidi avaritiæ insipientem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis eognoscerent, & illis tantum quos probare exceptis, reliquas ut pravas & scandalosas rejicerent, tamen vero qui adversus prædicta quavis ratione commotis, penas contra simoniacos editas teneri decreverunt, turorum tamen indomita cupiditate prædicta, quæ alia ad beneficium, & commodum ipsorum ministerii edita, aut omnino contemnuntur, aut in variis locis traducta perperam eluduntur. Quare nos pro divini cultus exercitio, simulque eorum ad illam rem plenius, evidentiusque consulendum fore, nos, nos, nos & abolemus omnia & quæcunque privilegia, consuetudines, & statuta quæcumque Ecclesiarum cathedralium & metropolitanarum, ac majorum, necnon collegiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut alio quovis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo ac quatuordecim tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis illiarum vel prælatorum debitis, sive pro solvendis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis, & urgentissimis causis concessis, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extentis, & mandatis, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicis, fructibus, præbendis, portionibus, beneficiis, & officis, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis destrictis, ac etiam vacatione anno, aut longiore, vel etiam breviori tempore proventuri, mensis Episcopali, seu capitulari, aliove loco integrè, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios canonicos, & personas Ecclesiæ, seu capitali dividantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate privatus in canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portioem, beneficium vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de observandis huiusmodi privilegiis, consuetudinibus, & statutis juramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationis, ac fructuum, & distributionum perceptione renuncierit, seu capitulari, aut quid aliud præstiterit. Quorum omnium rectorum, & personarum prædictarum cessent, seu (ut appellari solent) & effectus habemus præsentibus pro extantes, & effectus habemus præsentibus pro extantes, non irritantibus, & aliis decretis roborata: Volentes etiam omnia vires & effectum de cætero non habere. Precepimus igitur, & interdiximus omnibus Episcopis, capitularibus, collegiis, & personis ad quos id pertinet, ne post hæc

fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, nec ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciora, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quancumque sive ordinaria, sive Apostolica auctoritate provium, ad praestandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi praedicta non facienti possessionem impendant, vel remorentur. Quicumque contra fecerint, si Ecclesiarum antistites, tam diu à Pontificalibus officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione pravia illis per sedem Apostolicam suspensio relaxetur: capitula verò, & collegia quae cunctae Ecclesiastico subiaceant interdito, ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam à Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Romae prid. Calend. Junii 1570.

TITVLVS XII
DE MALEFICIS ET INCANTATORIBUS.

Alexander VI. Angelo de Verona ordinis Praedicatorum, sacrae Theologiae professori, in provincia Lombardiae haereticae pravitatis Inquisitori.

Inquisitorum fidei officium interest animadvertere in maleficos, incantatores, & quantum superstitionibus observatores.

CAP. I.

Quia accepimus in Provincia Lombardiae diversas utriusque sexus personas, diversis incantationibus & diabolicis superstitionibus operam dare, suisque beneficiis & variis observationibus multa nefanda scelera procurare, homines & iumenta ac campos destruere, & diversos errores inducere, magnaque inde scandala exoriri: decrevimus pro pastoralis officii nobis ex alto commissi ministerio scelera hujusmodi compescere, ac scandalis & erroribus praemissis quantum cum Deo possumus occurrere. Ea propter tam tibi quam etiam successoribus tuis per Lombardiam constitutis, de quibus in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus, & mandamus, etiam soli (honesto tamen comitatu per vos eligendo associati) contra easdem utriusque sexus personas diligenter inquiratis, easque iustitia mediante puniatis & compescatis. Et ut melius commissionem hujusmodi exequi possitis, contra illas vobis plenam & omnimodam harum serie concedimus facultatem, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon indultis & concessionibus ordinariis forsitan pro tempore factis, ceterisque contrariis quibuscunque non obstantibus.

Sixtus Quartus Vicario generali Episcopi Bononiensis.

Haeticum est à demonibus expectare responsa.

CAP. II.

Nuntiatum est nobis, nonnullos ordinis sanctae Mariae de monte Carmeli fratres tanta fuisse temeritatis, ut verum non sint disputando & praedicando in civitate Bononiensi ejusque comitatu asserere, non esse haeticum, & à puritate fidei alienum, demonum expectare responsa: ob quod adversus ipsius fidei puritatem scandala multa exorta videntur. Nos id indignè molesteque ferentes, & de praemissis certam notitiam non habentes, discretioni tuae per praesentes committimus & mandamus, ut omni opportuna adhibita diligentia & industria veram notitiam habere cures, an sint, qui fuerint hujusmodi assertores, & quae scandala propterea sint exorta. Quicquid autem in praemissis inveneris in scriptis au-

a Drecte pugnat cum analogia nostra fidei, expectare à demonibus responsa. Cajetan. in quasi. 70. 22. S. Thom.

thenticè redactum, ad dilectum filium Franciscum de Toletis, Notarium & Datarium nostrum domesticum, sub tuo sigillo transmittas, ut ab eo de omni te certiores facti, quid agi conveniat, auctore Domino, statueret valeamus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die decimo octavo Junii 1474. Pontificatus nostri Anno secundo.

Adrianus Sextus, Inquisitori Comensi.

Inquisitione Inquisitorum panni iure sanctis plebis debent incantatores & sortilegi.

CAP. III.

Vidum a, uti nobis exponi fecisti, per saec. rec. Iulium Papam II. praedecessorem nostrum, non sine magna tunc animi sui displicentia accepto, quod per quendam Georgium de Casali, ordinis fratrum Praedicatorum professorem, & in civitate Cremonensi haereticae pravitatis Inquisitorem deputatum, in nonnullis Lombardiae partibus, & praesertim in locis, in quibus dictus Georg. Inquisitor deputatus erat, repertae fuerunt quamplures utriusque sexus personae, propriae salutis immemores, & à fide Catholica deviantes, certam sectam facientes, fidem quam in sacri susceptione baptismatis susceperant, abnegantes, sanctam crucem pedibus conculcantes, & opprobria super eam perpetrantes, Ecclesiasticis & praesertim Eucharistiae sacramentis abutentes, diabolum in summum dominum & patronum assumentes, eique obedientiam & reverentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegiis, aliisque nefandis superstitionibus iumenta & fructus terrae multipliciter ledentes: aliaque quamplurima nefanda, excessus, & crimina, eodem diabolo instigante committentes & perpetrantes, in animarum suarum periculum, divinae majestatis offensam, perniciosumque exemplum & scandalum plurimum. Contra quas cum dictus Georgius tunc (ut assererat) in dictis locis suae inquisitioni deputatus, prout ipsi Georgii incumberebat officio, ipse Georgius processisset: nonnulli autem tam clerici quam laici illarum partium, quarentes plus sapere quam oportet, praemissa delicta ad ejusdem Georgii inquisitionis officium non pertinere temerè asserentes, praesumentes in populo errores & scandala seminaverunt: sicque eundem Georgium in populo odiosum reddere, & dicti Georgii officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediabant: ita quod propter praemissa, personae praedictae delicta hujusmodi perpetrantes, remanebant impunitae, & aliorum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, & scandalum plurimum. Dictus praedecessor volens (ne inquisitionis officii executio quomodolibet retardaretur, & labes haereticae pravitatis longius venena diffunderet) providere, dicto Georgio per quasdam suas in forma brevis literas commisit & mandavit, quatenus in locis ejusdem Georgii inquisitioni deputatis, de excessibus hujusmodi cognoscere, & contra quascunque personas, cujuscunque conditionis & praesententiae forent, inquisitionis officium exercere & exequi: ipsaque personas, quas in praemissis culpabiles reperiret, unà cum locorum ordinariarum Vicariis, quatenus voluissent interesse, juxta dictarum personarum demerita corrigere & punire deberet, secundum modum contra alios haeticos à jure sacris canonibus statutum: contraditores quoscunque per censuram Ecclesiasticam, & alia juris opportuna remedia compescendo. Eos vero qui in praemissis consilium, auxilium vel favorem praestarent, praefatus praedecessor noster eisdem indulgentis uti & gaudere decrevit, quibus cruce signati contra alios haeticos, ex indulto Apostolico eis concessio, tunc gaudebant & utebantur, prout in dictis literis plenius continetur.

a De maleficis & incantatorib. vide flagellum haeret. Pau. Grill. lib. 2. Alph. de Cass. de puni. haer. Sylv. Prer. de dam. 217.

